



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

DE FEBRE.

viadicavit. Hinc theoria super theoria coacervata est; et omnium moles tam magna facta, ut in ea nihil ferme clarum vel distinctum aspici possit. Huic, jam nimis amplae doctrinae de febre ejusque causis, multa nuper adjecit clarif. Cullen. Ex iisdem (haud dissimulandum est) plurima superflua, inania, et male sibi met. coherentia, excidit rejecitque. At disciplinae illi, quam in locum rejectorum substituit, multa, me judice, objicienda sunt, quorum ipse ingenuus parum ignarus fuit. In praelectionibus enim suis, difficultates ubique prementes, resque vix sibi constantes, agnovit. Nunquam non igitur, a temera, et suae theoriae, et aliorum fiducia, studiose cavere monuit; effatum, scil. “Errorum fugere, sapientiae initium est,” ei familiare fuit.

In hac dissertatione, quaedam carptim tanquam proponenti, haud mihi in animo est de febrium

februm varietatibus omnibus disputare; hoc enim aggredi labor, quam quo hic perfungi queo, longe esset operosior. Quapropter observationibus intra limites arctos cohibitis, illam ad speciem, *SYNOCHUS* a Cullen salutatam, animi praesertim advertam. Ea species in hisce regionibus grassatur, et in progressu symptomata fere singula, quaecunque febricitantibus incidere soleant, in conspectum prodit.

Synochus, quae a plerisque pro genere habetur, his verbis a clar. Nosologo definitur :

“ Morbus contagiosus; febris ex *synocha* et
 “ *typho* composita; initio *synocha*, progressu et
 “ versus finem, *typhus*.”

Quoniam vero haec definitio per se nihil de febre docet, definitionem *synochae* atque *typhi* quoque adjicere placuit.

Synocha

DE FEBRE.

7

Synocha, "Calor plurimum auctus; pulsus
"frequens, validus, durus; urina rubra; senso-
"rii functiones parum turbatae."

Typhus, "Morbus contagiosus; calor parum
"auctus; pulsus parvus, debilis, plerumque fre-
"quens; urina parum mutata; sensorii func-
"tiones plurimum turbatae; vires multum im-
"minutae."

SECT.

DE FEBRE.

S. E. C. T. I.

PAUCA, de materia febrili morbida atque cum aliis contagionibus ejusdem similitudine, quae in dubium revocarunt nonnulli, qui de febre scripserint, primum dicenda.

Sydenham, ille magnus artis medicinae rector et reductor, judicavit, febrem quodam natura nixu noxia vel intus ingenerata vel

extrinsecus recepta, corpore ejicientis, constare.

An illius opinio de salutari naturae constanti

vero fit similis, necne, hoc minime nunc ex

minabo, quoniam, cum de vi medicatrice, quae

illis habeatur, quoque hac de re disputabitur.

At opinatio tamen, quae materiam morbificam

corpore ingeneratam esse, vel receptam, posse

sustentari probabilibus argumentis videtur.

sup

super, in febribus, strictius sic dictis, est admodum verisimile, hancce morbidam materiam, qualis sit cunque, illius tumultus quodammodo causam esse, qui functionibus, vitae et secundae valetudini inservientibus, accidere observatur.

Si argumenta et conclusiones petere ex analogia fas sit, perfacile foret, ad opinionem de materia morbifica in corpus recepta, et febrem accedente, confirmandam insignem febris cum *rubeola et variolis* similitudinem afferre. Contagiones eae, quae hos edunt morbos, quod ad effectus aliasque res circumstantes attineat, se invicem maxime simulant. Materia virosa in singulis, aëre intermedio, huc illucque transvehitur, atque corpori, tum fomite tum contactu directo, impertitur. Ne multa dicam, sola in plerisque casibus differentia, quae inter unius-

B

cujusque

cujusque effectus intercedit, in eruptionis symptomatibus consistere videtur. In *variolis* autem, ut probe novimus, inducendis, materia morbida saepe ex industria infertur corpori, quae aliquo processu ignoto multiplicatur, mox suam aspirationem gravem inter populum sparsura. Sed quoque in febribus, subest gravissima ratio, cur credamus materiam morbificam applicatam seu introductam (sed non in omnibus exemplis aequè manifestam) esse, quae etiam multiplicata existit causa mutationum morbificarum, quae in febris processu oriuntur.

Dum

Eruptio, quamvis frequenter, tamen haud necessario morbum contagiosum comitatur. *Influenza* ex contagione maxime diffusili oriunda, nullum eruptionis regularis symptoma in lucem prodit. Idem de *periculi* dici potest. Etiam *cytauche maligna*, sine ulla cutis efflorescentia, aliquando accidit. Gravis est quoque ratio cur credamus, *variolas* ipsas sine eruptione cursum suum absolvisse.

Dum vero, earum in effectibus, accuratiorem
variolosae, morbillosae, et febrilis contagionis
similitudinem percipimus, tamen fatendum est,
praeter eruptionis circumstantiam supradictam
esse aliam satis notabilem differentiam. Con-
tagio febrilis quinquam saepius in vitae decursu
afficere potest, cum *variolosa* et *morbillosa* vim
suam in corpus tantum semel exserit. Ad quod,
me ignarum penitus esse confiteor, hoc referen-
dum esse; nec quantum scio, ratio probabilis,
nedum vera, ab ullo auctore haecenus prolata
est. Quod tamen contagionem febris spectat,
hoc est observandum, quod in multis exemplis
satis familiaribus, ejus efficacia quae effectus
praestat assuetos, liquido multum hebescat. Me-
dici, verbi causa, alique febricitantibus constan-
ter assidentes, tandem assueti aëra noxiis gravi-
ssimum, fomites, et aegrorum contactum im-
mune ferunt. Quod contagio febrilis fere sem-
per invaleat, atque hominum corpora tempore
quolibet

quolibet afficere possit, hoc ipsius minime proprium est; namque contagio *erysipelas* gignens, saepissime in vitae processu corpus afficit, immo proclivius reddit. Hinc vinculum quasi fit contagium *erysipelatis, variolarum, rubellae, et scarlatinae*, quod eos affectus cum febribus connectit. Praeterea notari debet res quaedam ad hujus contagii effectus pertinens, quae aliquam saltem similitudinem ostendit, hoc contagium inter, et materiam *variolosam* pariter ac *rubeolosam*. Habet enim consuetudo, ut supra dictum, vim quandam corpus contra novos ejus impetus muniendi; et hoc tantum interesse credi potest, quod alterum materiae genus iteratis impulsibus idem faciat, quod alterum singulo ictu efficere possit.

Scriptores medici, animum porro ad aliam differentiam, inter febres eosque morbos, a materia morbifica plane ortos, intercedentem, adverterunt. Febres, inquit, nullius statae diu-

turnitatis

turnitatis sunt, et saepe, ut videtur, medio in
 cursu suo, ab aliquo remedio idoneo profugan-

...mi, sicque supra est...

Constantia, quae in progressu exanthematum ob-

servatur, tantum ad eruptionis circumstantias respicit,
 haud vero ad febrem. *Varicella*, verbi gratia (morbus
variolis saepe tam similis, ut diagnosis difficiliter inter-
 ponatur) comitatur febre diuturnitatis incertae, ut Cul-
 len annotavit.

Idem auctor, in historia *variolarum* scribenda, his
 verbis usus est: "In the confluent small pox, the fe-

ver, which had only suffered a remission from the
 time of eruption, to that of maturation, is often at,

or immediately after this period, renewed with con-
 siderable violence—and is, in different cases, of va-

rious duration and event." In *rubeolae* historia ob-

servavit: "Sometimes, after the eruption has ap-
 peared, the fever ceases entirely; but this is seldom
 the case: And, more commonly, the fever conti-

nues, or is increased after the eruption, and does not
 cease

tur. Medici hoc argumentum arripuerunt, eo-
 que usi sunt, ad similitudinem contagii febrilis
 cum illis exanthematum, quae plerumque cur-
 sum definitum et regularem absolvunt, impro-
 bandam. At argumentum tamen aliquando
 imbecillius fit, cum nobiscum reputamus, quan-
 tum medicina in signis exanthematum compen-
 dendis et corripiendis potest; quod si rite con-
 cimus, plane docet, ea atque febres opinione
 minus inter se, quoad hanc rem differre.

At, cum animo ducor, ut credam, particulas
 contagiosas, in corpus introductas, hoc est, ma-
 teriam morbificam, esse primariam, et continen-
 tem causam illius vitii, primum solidis vivis, et
 exinde functionibus corporis omnibus illati,
 neutiquam

“ cease till after the desquamation. Even then the

“ fever does not always cease, but continues with vas-

“ rious duration and effect.”

neutiquam tamen placuit, vim aliarum quarundam causarum, quae febrem accendere putatae sunt, omnino denegare. Intensum ac diuturnum frigus, metus, moestitia, intemperatus ciborum, potionis, Veneris usus, similiaque, febris incitandae, haud forsan injuria culpantur. Ipse nihilominus suspicor, febrem, sine primaria affectione locali ortam, esse contagioni plurimum tribuendam; et causas caeteras, modo dictas, eidem contagioni corpus proclivius reddendo, subservire.

Denique, huic argumento solummodo addam, quod vis contagionis parum ita perdurat, ut per totum febris decursum, actionem morbosam semper sustineat vel intendat: Ipse opinor, in febribus insignis diurnitatis, actionem tumultuosam corpori, solam propter vim consuetudinis, sicut in *pertussi* accidit, manere; et accumulationem atque incrementum materiae contagiosae

giofae in corpore (quod aliquando est videre) hanc opinionem non multum infirmare; nam, quod paulo supra animadverfum est, potestas ejus super corpus, paulatim imminui, et tandem omnino cessare, videtur.

S E C T.

S E C T. II.

QUIBUS viis corpus ingreditur contagio febrilis?

Ad hoc quaesitum respondit cel. scriptor * ;
" Multifariam ;" scil.

Vasis cutis inhalantibus,

Vasis absorbentibus pulmonum,

Infitione,

Saliva devorata, et in ventriculum recepta.

Sunt, qui contagionem omnigenam naturaliter applicatam, cum saliva semper devorari, et ventriculum primum afficere, judicarant. Inter
C eos,

* Vid. Cullen's Practical Lectures, MS.

eos, maxime eminent Doctores Lind et Turner, quorum sententiam, hac de re, nuper amplexus est et defendit ingeniosus Gardiner *, medicus Edinburgensis. Parum inficias ibo, quod hacce via possit recepti in corpus contagio; non vero in sententiam ire possum eorum qui hac sola semper eam ingredi asseruerunt.

Nulla, ex signis, anorexia, nimirum, nausea, vomitu, anxietate, aliisque ventriculi, hepatis, et intestinorum affectionibus, quas antecedere febres et exanthemata contagiosa saepe videmus, probatio obtinetur. Nam symptomata eadem, ex contagione *infitā* etiam enascuntur. Insuper affectio † ventriculi gravissima, ex veneno vipere-

* Vid. Gardiner's Observations on the Animal Economy.

† Vid. Mead on Poisons.

rino et canino partibus *extremis* communicato,
oritur.

Variolae procul dubio plerumque mitiores ad
finem procedunt, si *institae* fuerint, quam si na-
turales; differentia tamen, me iudice, haud tam
viae, qua corpus ingrediantur, quam modo eas
jam inductas administrandi, est tribuenda.

Enimvero, quae purgant ventriculum, et for-
des atque cruda eliminant, medicamenta ex usu
magno in morbis contagiosis sunt; boni autem
eorum effectus ad hoc solum, quod expellunt
materiam morbidam, quae sane totum corpus
dudum infecerit, parum referendi, sed potius ad
terum nocentium aliarum amotionem, vel ad
succussum cum corpore communicatum, unde
actio morbosa sublevatur, forsan omnino remo-
vetur.

Auxilia

Auxilia ALEXIPHARMICA, olim magnificentius jactata quam verius, apud medicos recentiores fere nullius momenti habentur. Ptarmica et Masticatoria, ut dicuntur, plurimum a Lind et Turner laudata sunt; non ipse negabo ea, quippe quae et corpus quodammodo stimulent, et faciant, ut saliva, contagiosis particulis imbuta, rejiciatur, interdum proficere; sed praecipue fiduciam animo ingenerando profunt*.

Viscerum inflammationis signa, quae aliquando, cadavere dissecto, post mortem deteguntur, nihil omnino de sede contagionis prima docent. Qui enim mortui sunt affecti illo malo horribili ex rabidi animalis morfu oriundo, eorum in visceribus omnibus, tum in capite, cum in tho-

* Dum virtutem alexipharmicorum perpendamus, observandum est, eadem praesertim ab iis sumpta fuisse qui circa aegrotos versati sunt; ideoque consuetudinis minus morbis contagiosis opportuni.

race et abdomine, inflammatoria saepe fuerunt signa *.

Ex his omnibus igitur manifestum est, notas eas, unde praesumptum habuerint auctores, materiam morbidam imprimis in stomachum recipi, ibique praesertim effectus primos edere, rectius ad universi corporis affectionem atque commercium id inter et ventriculum, imputandas esse. Docet quadantenus medica experientia Sydenham, quam votis respondere in peste tractanda, non raro invenit. Adeo in initio turbabatur ventriculus, ut in eo manerent nulla remedia, donec auxiliis externis sudorem ciebat. Ita vomitum et tumultum intestinum, non contagionem fugando, sed ex ventriculo ad corpus summum derivando, et eidem per consensum vigorem restaurando, compescuit.

Interea,

* Vid. Mead. on Poisons; et Aphor. Boerh. de Hydrophobia.

Interea, dum in dubium revoco argumenta ea, quae frequenter adducta sunt, ad opinionem de contagione febrili, in ventriculum recepta, et inde per totum corpus diffusa, comprobanda, haud hanc ingressionis viam penitus denegare in animo est. Contra, experimenta, contagionem variolosam, in ventriculum cum alimento infusam, suum producere solitum, non vero *graviores* * effectum, satis testantur.

Quod ad contagionis ingressionem per vasculi cutis absorbentia attineat, hanc vero similem admodum judico, quamvis, propter res multas quae processum circumstant, non potest non esse quin documenta directa magna ex parte desint.

* Hanc opinionem foverunt multi medici, quod non mirum variolarum infectio morbum mitiorem dat, quia materia contagiosa per superficiem intro fertur. Haec autem opinio satis improbat ab experientia; aequi-

enit

In facie bronchiorum interna, atque vesiculis aëra vehementibus pulmonis, conjectura certius, existunt absorbentia vasa, quae, varias res, eo delatas ab aëre inspirato, resorbent. Physiologi, cum magna veri specie censuerunt, contagiones morbidas per hos aditus corpus quoque intrare posse. Cum vero, et his, et simul aliis quibusdam partibus corporis, plerumque admodum sint, vix aut ne vix quidem exempla possumus discernere, ubi hoc modo contrahitur febris.

Denique, facilitas, qua corpori inferuntur *variolae* et *rubeola*, nihil dubii relinquit, quin simili prorsus modo contagio febrium in corpore ferri possit.

Haec

enim mitis est morbus, si quando pustulae siccae cum cibis ipsi ventriculo applicatae fuerint.

Haec via febrem accendendi, parum, si pau-
cas circumstantias demas, a contagione per aëra,
vel fomites applicata, differt.

SECT.

S E C T. III.

Causa proxima, quantum comprehendi, quam protulit, quamque summo ingenio defendit Cullen, *spasmus* vasorum extremorum est, quem efficit *debilitas*, a viribus *sedantibus* oriens. *Debilitas*, quae primo *spasmmum*, et deinde febrem gignit, contagiosa ex vi *directo sedante*, procedere dicitur. In paragraha lxxxvi. Praxeos Medicae, sequentia protulit auctor: “ It is necessary to add here, that human and marsh effluvia seem to be of a debilitating or sedative quality. They arise from a putrescent matter. As putrid matter, therefore, is always, with respect to animal bodies, a powerful sedative, so it can hardly be doubted, that human and marsh effluvia are of the same quality; and it seems to be confirmed by this,

D

“ that

“ that the debility, which is always induced,
 “ seems to be in proportion to the other marks
 “ that appear of the power of these causes.”—

In hanc sententiam haud facile ire possum; sunt, ut videtur, multa, quae contra eam dicunt, quaeque, si omnia proposita animum mirabiliter turbabunt.

Quod ex putridis atque putrescentibus animalibus et vegetabilibus oritur materia contagiosa, hoc minime negandum est, quibus febres aliosque certos morbos recte attribuerunt medici. Hanc autem vim nocivam potius *stimulanda* agere, quam *recte sedando* docent, ni fallimur, rationes sequentes.

Imo, Ramazzini, in tractatu de Artificum Morbis, refert, quod oculorum inflammatio in iis, qui publicas cloacas immundant, morbus per frequens sit; hoc est, effluvia, quae, ex anima

libus atque vegetabilibus admodum putridis, feruntur, vitium, inflammationem habens, excitare possunt.

2do, Si incisor, in cadavere, febre contagiosa mortuo, diffecando, male digitum scalpello laeserit, sic ut materia putrida, contagiosa, oculo quasi imponatur, inflammatio vehemens saepe oritur universi brachii, quam subinde secuta est febris maligna, ducens demum ad inferos. In quorum mentes, lugubre Doctorum Peckwell, et Walsh, fatum, facile non subit.

3tia, Signa, quae primis febris synochi diebus oriuntur, plane stimulorum aliquorum effectus sunt.

4to, Medici prudentissimi, multaque experientia ac scientia imbuti, in hoc consentiunt omnes, praecipiendo, scilicet per stadii primi, seu renixus,

nixus, ut vocatur, decursum, modo antiphlogistico. Iidem, mala exoriri diversa ac opposita administratione, testantur.

5to, Ipse Sydenham, quo auctor nullus fere magis fide dignus, affirmavit, se sanguinem, in febre pestilentiali detractum, tunica coriacea, inflammationis nota, obductum vidisse.

6to, Mediam aetatem agentes, vegeti et sanguinei, feбри contagiosae maxime opportuni, observantur. In conclavibus valetudinarii et carceribus, testante Doctore Gregory, aliisque, debilitati, effoeti, languidi, et praecipue phthisici, contagione pestifera immunes sunt, dum validiores et firmi nec raro tentantur *. In Aphorismis ill. Boerhaave ad febrem opportunitas

* Observatur ab eodem auctore, eos hujus constitutionis gravius affici.

Hisce verbis, "temperie, aetate, habitu calidis, "fanguinolentisque," notatur.

Postremo, contagionis potestas, non fecus ac aliorum *stimulorum*, vi consuetudinis imminuitur, et demum prorsus nulla fit. Hoc docet ea *impunitas*, qua cum medici, et qui aegrotis affideant, actionem ejus patiuntur.

Argumenta plurima ab auctoribus prolata adversus vim *stimulantem* contagionis sunt, quae, si rite considerentur, opinionem nostram confirmabunt potius quam refellent.

Si minime *directo sedant* contagiones, cur saepe (a quibusdam quaeratur) principium vitalem subito extinguunt, si paulo intensius applicentur. Par videtur ratio, cur effectus nec ab similes, ex aliis stimulis praepotentibus orti, saepe observantur. Succussus, nempe, *electricus*, quo,

quo, nihil fere corpus magis incitat, actutum enecat; sensum auditus obtundit, immo aliquando abolet sonitus tormentis bellicis editus.

Ante renixum notabilem, et vasorum actionem vehementem in febre synocho eunt, ut observatum est, haec symptomata, languor, nimirum, horrores, vultus pallidus, collapsus, &c. quae omnia opus contagionis *sedans* demonstrare dicuntur. Concessa vero haec signa haud vim stimulantem redarguunt; quippe quae, febres pure inflammationem habentes, veluti *rheumatismum, synocham, catarrhum*, et praecipue speciem eam, *Influenza*, ab Italicis dictam, nunquam non comitentur. In praelectionibus suis practicis ingeniosus Doctor Duncan observat *debilitatem*, qualis in febre est, imbecillitatem eam, ab *ebrietate* exortam, referre, et potius in *actione inordinata* quam fibrarum musculosarum

diminut

diminuta constare. Quod, si ita sit, opinionem, quam amplexus sum, fortiter propugnat.

Qui sententiis supra propositis adversantur, illi dicunt, omne signum in febris *typhodis* progressu suboriens, ingentem fere, neque ambiguum *debilitatem* corpori inesse, nulla vero intercedere excitationis symptomata, demonstrare. Si tamen, ad generaliores contagionum diversarum effectus perfunctorie respiciamus, hocce argumentum, quo usi fuerint, imbecillum apparebit.

Quamvis contagio *variolarum*, *rubeolae*, *scarlatinae*, et *erysipelatis*, effectus stimulantis primo plerumque praestet, tamen propria experientia bene novimus, effectum secundum, qui ab illis stimulantibus gignitur, hoc est, *debilitatem*, nonnunquam maturrime, in ipsis, scilicet, morborum initiis, sese prodidisse. Ita, ut *morbillosa* et *variolosa*

variolosa febris, aequae ac rarum illud perfecti *typhi* exemplum, universae *debilitatis* symptomata ab ipso incurfu ostenderit *. Quocirca, ex hac similitudine *variolarum* et *rubeolae*, quae plane ex contagionibus incitantibus oboriuntur, cum *typho*, *peste*, *synocho*, &c. fas inferre, contagionem febrilem primum quoque *stimulare* apparet, quanquam effectus inde oriundi, propter *stimulorum* intensitatem, minime tam diuturni et conspicui sint. Ille cl. medicus Sydenham, de Febris continuis anno 1667—8 et part. 69 disceptans, nexum inter illorum annorum febrem continuam et *variolas*, annotavit. Verba auctoris, tam multum ad rem nostram facientia, citantem me facile excusatum iri, iudicavi. “ Ut vero febris haec ab ista aëris constitutione epidemica pendeat, quae eodem tempore *variolas* producebat, ita profecto di-

* Vid. Walker's Inquiry into the Small Pox.

ta febris, si non eadem plane esset, ejusdem
fere cum illis naturae atque indolis per om-
nia videbatur, demptis solummodo sympto-
matis istis, quae eruptionis vel consequentiae,
vel effecta, erant necessaria; nam eodem mo-
do uterque morbus aggrediebatur, dolor idem
in partibus, quae cordis scrobiculo subjacent,
si manus admoveretur, linguae idem color,
urinae consistentia, &c. Sudores spontanei
copiosi ab initio exorti ubique respondebant.
Propensio itidem, quam habebat hic morbus,
quoties in flammam vehementiorem affurge-
ret, se per ptyalismum exonerandi, eadem
prorsus erat, atque in variolis hisce, quoties,
scilicet, confluebant. Cum insuper haec fe-
bris eo praecipue tempore saeviret, quo latius
quam unquam alias, quantum ego observavi,
hic locorum grassabantur variolae, nemini
dubium esse potest, quin ejusdem omnino sint
prosapiae. Id certo scio, phaenomena praec-

“ tica omnia, quae curationem respiciebant, ea-
 “ dem plane fuisse in utroque morbo; exceptis
 “ istis, quae variolarum eruptio ejusque effecta
 “ in isto morbo indicabant, quae, cum nulla
 “ esset in hac febre, indicare proinde non po-
 “ tuere: Quod quidem mihi abunde constabat
 “ ex accuratissimis illis observationibus, quas
 “ feci, dum utroque morbo laborantes tracta-
 “ rem. Quapropter danda mihi venia est, istam,
 “ a similitudine, quam cum hac variolarum spe-
 “ cie habet, febrem variolosam insigniam *.”

Hoc quandam vim nostris argumentis addit,
 quod certa *acerrima* venena, parva etiam quan-
 titate, in ventriculum recepta, febrem *typhodem*

* Est revera parvi momenti, nam hic morbus *vario-*
lis aut *febri* primariae referatur: Quoniam utcumque
 respiciatur, similitudinem, quae inter utramque
 manifeste ostendit.

et summam *debilitatem* aliquando producunt; et eadem, sumpta majore quantitate, lethum, nulla fere intercedente inflammatione, statim afferunt.

Pestis exempla itidem fuerunt multa, quae, si auctoribus credere liceat, propter potentiae nocivae intensitatem, in mortem protinus desierunt.

Proximum est, ut examinemus, quid, de contagionis febrilis actione, doceat communis administrandi methodus. Nemo certe *stimulantia* atque *roborantia* esse optima ac idonea remedia ad febrem typhodem, ubi tam multum virium exhauritur, inficias ibit. Hoc, nihilominus, *stimulantem* contagionis vim neutiquam improbat; nam administratio eadem *typho* et *variolis confluentibus* atque *rubeolae putridae*, quae, consentientibus omnibus, *incitanti* ex contagione oboriuntur, *convenit*. Quamvis in febribus inveteratis, *praxis* supra dicta, ut plurimum *convenit*, tamen in plerarumque initio, longe alia saepius requiritur.

requiritur. In tractatu excellenti de Mat. Med.
 Doctor Cullen, ut caveamus effectus malos, a
cortice Peruv. in febrium principiis praepropere
 adhibito, oriundos, obnixè praemonuit. Verba
 sunt: " But, in considering the question, this
 " is to be observed, that both the putrid and
 " nervous fevers may be combined, especially in
 " their commencement, with a phlogistic
 " thesis in the system. With this state, as I
 " have already said, I hold the bark to be in-
 " compatible, and, therefore, judge it to be al-
 " ways improper in the beginning of that kind
 " of fever, which, in my Nosology, I have
 " named *Synochus*. I can by no means con-
 " cede with certain authors, who maintain, that
 " the fevers we are speaking of, as soon as the
 " *primae viae* have been cleared by an emetic
 " and purgative medicine, we may immediate-
 " ly employ the bark, and trust the cure of the
 " disease entirely to it. I have frequently ob-
 " served

" served the mischievous consequences of such
 " a practice, from its aggravating the inflam-
 " matory state of the system, and determining
 " to local and fatal inflammations of the brain
 " and lungs." Parum est re absolum videtur,
 sequentia quoque hic citare : " My observations
 " lead me to judge, that, in the beginning of all
 " putrid fevers, and, by the testimony of au-
 " thors, even in the plague itself, that more or
 " less of an inflammatory diathesis sometimes
 " takes place. We find this to subsist com-
 " monly for the first week of our epidemic fe-
 " vers, and, therefore, that it is seldom safe to em-
 " ploy the bark during that period." Si autem
 vires corporis moventes directo reprimat conta-
 gio febrilis, effectus maxime salutare ex robo-
 rantibus et medicamentis stimulantibus, ipso in
 morbi incurfu, oriantur oportet.

Sed

Sed puta, verbi causa, *stimulantia* medicamenta nonnunquam profuisse in febrium initiis praecpta, tamen argumenta non defunt, quibus eundem comprobatur utilitas in iis casibus, ubi generalis usus parum aequè idoneus videretur. In locali *inflammatione* effectus plurimum notandi, usu non modo *epispasticorum*, sed etia *rubefacientium*, *sinapi*, *alkali* vel *acido* compositum, aliquando obtinentur. Quapropter, *pneumonia*, *cynanche tonsillari*, *tumore inguinis nereo*, magnum commodum saepe attulerunt hujuscemodi *stimulantia*. In *hepatide*, *acutae venerea*, et, apud nonnullos auctores, in *senteria*, effectus optimos praestitit illud remedium *stimulans*, mercurius. Nec hic celandum, quod febres *inflammationem* habentes, tum a medicis vetustis, cum recentibus, aliquo *impetu* viore cum febricitantibus communicato, mirabiliter levatae, vel in principio penitus terpellatae fuerint.

Ante his observationibus, super effectibus febrilis contagionis, quam finem imponam, paucis ad illorum opinionem advertam, qui incitationem, in febribus subinde supervenientem, potestati *vis medicatricis naturae* tribuunt.

Ratiocinatio, de qua praesertim pendet haec sententia, videtur magna ex parte niti falsa quadam similitudine, quae putatur a multis, narcotica inter et contagiones intercedere. Diu medicis opinio fuit, omnia ea, quae dicuntur *narcotica*, primum in corpore effectus sedantes praestare; hoc est, directo conducere ad facultatem et vim vitalis motus in genere nervoso minuendam. Quapropter inter hanc proclivitatem ad lethum, certe ad morbum, ab actione horum sedantium, quae vocant, orientem, *vis conservatrix naturae*, qualis sit cunque, suam virtutem salutarem exerere putatur, quo periculo imminenti obviam itur*.

Itidem

To explain, therefore, the *stimulant* effects, that often

Itidem, inquit, qui opinioni supradictae fa-
 veant, in febre incidit; contagio, nempe, vel
 alia noxa, quaecunque fit, motus vitales *minuit*,
 eosque sua vi *sedante* reprimat; ex quo *vis medi-*
catricæ naturæ actutum suam potestatem interpo-
 nit, et diris effectibus mox orituris resistatur,

Cum argumenta, super quibus præcipue fun-
 datur conclusio, rite considerantur, hæc theoria
 ni fallimur, saltem incerta, si non omnino falsa
 apparebit. Forsan non temerarium erit, ratione
 scientiæ nostræ *narcoticorum*, et in corpore eo-
 rum effectuum habita, affirmare, circumstantia
 non paucas existere, quæ ostendunt, cum *opiu-*

appear from the exhibition of narcotics, it seems necessary
 to assign some other cause than the *direct stimulant* power
 of the substance applied; and it appears to be that
resistance and consequent *activity*, which the animal econ-
 omy is suited to oppose to every application which has
 a tendency to hurt it.—Vid. Cullen's *Mat. Med.* vol. 2

tum hujusmodi remedia reliqua, effectus incitantes primum in corpore praestare: Quod, si ita sit, opinionem maxime infirmabit, quam, ut multis creditur, ea similitudo, *narcotica* atque *venena*, seu contagiones intercedens, sustinuit.

Opium, dicunt illi scriptores, *sedat*; Quid enim? Quia profecto, somnum inducit. Idem vero faciunt *cibus*, *calor*, *fermenta*, *liquores*, omnes *mercuriales*, *exercitatio* tum animi, tum corporis, atque *alia*, quaecunque plane *stimulant*. *Opium* dolorem levat, motusque convulsivos et abnormes tollit. Effectus eosdem praestant, multis in exemplis, *stimulantia* et *tonica* remedia. Arguenti causa, in his casibus, ubi dolor ingens ex calculis insidentibus urinam vehementibus viis oritur, levamen conciliant non modo *opium*, sed etiam *vinum*, *alkali causticum*, *acidum aëreum*, *quaecalcis*, *uva ursi*, quae omnia non, nisi potentia *stimulante* et *tonica*, concurrere videntur: Et *mercurius* aequè ac *opium* in *tetano* praescribitur.

Ne plura dicam, si *opium* (nam inter *narcotica* eminent) *pungens* ac *acre* quidem est; si receptum in stomacho, effectus gratos et *hilarantes* edit. Si *sudorem* ciet et auget, denique, siquidem in morbis *inflammationem* habentibus fere *nocivum* et *periculosum* est, nihil obstat, ut ipse censere quin concludamus, hoc remedium eximium eandem, ac alia *stimulantia*, virtutem exerere. fin enim minus, modus, quo corpus afficit, ne tiquam bene intelligitur.

Quod *vim conservatricem naturae* attinet, quam nimirum, supra dictis non obstantibus, in vi corpore existere credo, hoc tantum modo conservandum est, motus suos, quodocunque praestet, tribuendos esse, vel potentiae *stimulorum* quorundam, veluti in sternutamento, creatione, vomitu, alvi dejectione, urinae mitione, &c. et, pari ratione, oriri ex contagio pro *stimulo* habita, possunt; vel imputandos

corporis debilitati, quo tempore actionis vehementia eo solum ascendit, quod idoneum et necessarium fit, parum vero eo usque, ut coercionem egeat.

Iustae actionis vis medicatricis naturae exemplum praebet *podagrae* regularis paroxysmus; in quo tamen, si inflammatio salutaris intemperate reprimatur, periculum haud leve oritur. In febre autem, omnia fere contraria incidunt; nam renixus aliquando eo procedit usque, ut vitam ipsam extinguat *.

His,

* Paroxysmi *arthritici* atque febrilis, adco inter se diversi sunt, ut, si posteriorem, dato emetico, corripere nequeamus, consilium primum statim nascitur, nempe, vim renixus, quantum potuerimus, imminuere; mala, ex paroxysmo *arthritico* suppresso oriunda, satis ab omnibus noscuntur.

His, de contagione, qua *stimulo*, propositis, nunc pauca proferenda sunt argumenta, quae dubium reddunt, an *spasmus ex debilitate* ortus, ut judicatum, febris *proxima causa* sit.

Imo, Imbecillitas, qualis in febricitantibus observatur, non tam mera *debilitate*, ut supra comprehensum, quam *actione* fibrarum *movementium inordinata*, constare videtur. Utcunque est ipsa *debilitas*, qualiscunque judicetur, aequae conspicua, *convalescente* homine, est, quam cum ipse adefset morbus. Neque *debilitas*, quam planissime in corpore fuerit *ingens*, semper aut *spasium* aut febre *necessario* *gignit*; cujus *numera* documenta quotidie nobis *suppetunt*. Incidit, v. g. homini e balneo frigido, in quo nimis diu permanferit, *prodeuntis* in corpore quoque *inexercitato*, quod aëri frigido *humido* longius *justo* *expositum* fuerit, *idem* observatur.

2do, In ipsa febre atque plerisque quidem morbis in classe pyrexia comprehensis, sudor nonnunquam tam fuse promanat, ut medicamenta requirantur, quo compescatur. Adeo verum hoc est, ut in *miliaria*, *hectica*, et *primaria variolarum* febre, *sudatio* pro signo *pathognomonico* haberi possit. Quomodo hoc signum vasorum extremorum constrictioni seu *spasmo* constet, discernant, qui potuerint.

3tio, *Petechiae*, atque *vibices* etiam, inter ipsa initia febris in conspectum se nonnunquam produnt; quod minime, quantum viderim, fieri posset, si vasa extrema tunc temporis *spasmo* constringantur.

4to, Quanquam revera adortus fuerit *spasmus*, in loco tantum atque fugax est, et eam ob causam aegerrime rationem ullius morbi permanentis, vel generalis reddere potest.

Postremo,

Postremo, Febribus medendi *methodus*, in omni fere puncto, et causae positae proximae et phaenomenis, in progressu orientibus, multum discors est; *sudorifica* enim, quae spasmodum resolverent, generatim inutilia, nec raro nociva reperiuntur.

S E C T.

S E C T. IV.

PROXIME consideranda est doctrina, de qua medici tantum, quantum de his supra comprehensis, inter se discrepant: An, nimirum, lex oeconomiae animalis existat, qualis febres, vel ¹⁰³ fato, vel salute, *definitis* ab initio temporibus, solvat, necne?

Quoniam haec quaestio ad rem factam plane respicit, et cuiquam communis observationis patuit, *dies criticos*, si reapse extitissent, longe antea confirmatos facile habuissent medici. Auctoritate Hippocratis, et aliorum ex ejus tempore igitur non obstante, cum a medicis multis, nulla *diebus criticis* habetur fides, in dubium doctrinam revocare et ipse animo maxime ducor.

Haec

Haec dierum, quibus finiuntur febres, notio, cum philosophia Pythagorea fatis vana atque inepta, primum intertexta est. Haec, quamvis forsan parum Hippocratis ingenium recto e limite omnino deflectere posset, tamen disciplinam et observationes medicas quadantenus afecisse videtur. Inter multa, argumentum est unum, quod doctrinae fidem plurimum infirmit, et incertam reddit. In plerisque enim exemplis, diem exactum, quo febris *primum* accesserit, statuere perdifficile est: In paucissimis quidem ad rem certam pervenitur.

Quae sunt prolata argumenta a Doctore Culen ad fidem *dierum criticorum* Hippocratis faciendam, et explanationem eorundem reddendam, attentionem nostram bene imprimis merentur.

imo, *Crisis*, secundum Cullen opinionem, primum, die inaequali, scil. 3tio, 5to, 7mo, 9no, 11mo, fit: Forma postea mutata, fit 14to, 17mo, 20mo die morbi, intervallo, nimirum, trium dierum. Ad ea phaenomena exponenda rationem sequentem proposuit, quam ipsis verbis tradere placet: "From the universality of tertian or quartan periods in intermittent fevers, we cannot doubt of there being in the animal oeconomy a tendency to observe such periods, and the *critical days* above mentioned are consistent with this tendency of the oeconomy, as all of them either mark tertian or quartan periods. These periods, however, are not promiscuously mixed, but occupy constantly their several portions in the progress of the disease."

Quaquam haec proclivitas ingenita, seu lex, quam oeconomiae animali inesse posuit, auctori

concessa fit, tamen de principii alius petitione
 ratiocinationis veritas et conclusio pendet, nexu,
 nempe inter febres continuas ex humanis efflu-
 viis ortas, et *febres intermittentes* ex effluviis pa-
 ludosis. Hocce autem praetermissio, et concessa
 inter utrumque genus omnium rerum similitu-
 dine, quomodo fit, ut forma *tertiana*, quae ante
 diem undecimum observatur, in *quartanam* post
 id tempus mutetur? Idem enim auctor, in para-
 grapha xxxi. observavit, febres, siquando ty-
 pus in progressu mutatur, ad continuas gene-
 ratim vergere; scil. *tertianae* et *quartanae* in
quotidianas; *quotidianae* in *remittentes*, et hae de-
 nique in *continuas*, convertuntur. Sed haec, ut
 mihi videtur, conditio rerum, legem supra posi-
 tam, quae *dies criticos* post undecimum determi-
 nat, *directo* oppugnat.

2do, De Haen ex Hippocratis scriptis collegit
 febris exempla centum sexaginta et tria, quorum
 centu

centum atque septem *criticos in dies* terminatae sunt: Si vero effet lex ulla generalis, certe portio multo major eidem legi paruisse deberet.

3tio, Nec paucae febres, ut concessum est, secundum Hippocratis notationem, die *sexto* finitae sunt. *Sextum* tamen, inter *dies criticos* annumerandum noluit Cullen; nam, ut pleraeque hujusmodi *fatales* erant, sic, *gravi aliqua causa* interveniente, cursus naturalis et idoneus interpellatus fuerat. Pari autem ratione, hisce duabus ex partibus tribus supra dictis, quarum terminationes *diebus criticis* fiebant, substrahendae sunt febres omnes *fataliter* desinentes; quis enim norit, an eae quoque a *similibus causis* turbatae fuerint?

Si ex earum, quae hanc notionem confirmare dicuntur, numero, febres fatales subducere fas est, reliquae nunc ad paucas quidem redactae,

tae, non nisi fundamini lubrico inniti, videntur.

I T E M

Denique, si, ut voluit Hippocrates, dies quartus putatur criticus, inveniemus, incluso ipso undecimo, *criticos* plures, quam *non criticos* dies existere: Quare aequum est, doctrina hac omnino rejecta, febrem saepius in *criticos* quam *non criticos* dies forte sola desinere. Quanquam diem post undecimum *critici* multo pauciores *non criticis*, tamen inde ad doctrinam firmandam, nulla conclusiones deduci possunt; namque febres continuæ, ante vel circa hunc diem undecimum permultae, natura finiuntur.

S E C

S E C T. V.

Res ultima, ad quam, in febris pathologia, animadvertam, est mutatio, quam, sanguis a sana conditione deflexus, nonnunquam subire dicitur.

Fortissimum, ut judicatur, argumentum sanguinis putredinis generalis a maculis et petechiis, quae in cute saepe oriuntur, deduxerunt defensores illius doctrinae, quam *Humoralem* vulgo dicunt.

Fere omnes nunc agnoscunt, *petechias, maculas, vibicesque* enasci ex humoribus ab arteriis extremis effusis, atque subter cuticulam depositis; strenue tamen a quibusdam recentioribus denegatur,

denegatur, humores, his modis effusos, *solutum* vel *tenuem* sanguinem denotare. Impfimis, signa ea, quae hoc factum confirmare dicuntur, perfunctorie perpendamus. Symptomata sunt:

1mo, Spiritus maleolens.

2do, Dejectiones frequentes, liquidae, foetidae.

3tio, Urina opaca, rubra.

4to, Sudor olidus.

5to, Foetor, livorque illarum partium quibus antea *epispastica* admota fuissent *.

Haec existere in corpore symptomata, minime est negandum; in animo tamen dubium haeret, an eadem sanguinis *putredinem* semper testan-

tur

* Vid. Cullen's First Lines.

tur, nec ne: Nam prodire omnia in conspectum, ni fallimur, posse, dum in humoribus nulla *putredinis* suspicio subest, docent sequentia.

Halaena foetida inter signa, *vermes* canali alimentario inesse denotantia, a plerisque auctoribus fere annumeratur. Spiritus quoque admodum foetidus ex pauculis *mercurii* granis sumptis ad *sypbilidem* sanandam observatur, dum valetudo generalis integra manet.

In provecto *phthisis pulmonalis* stadio, dejectiones frequentes, *liquidae, foetidae*, fere semper occurrunt; et urina praeter solitum *rubra* sedimentum *copiosum furfuraceum* deponit. Hoc autem in morbo, abest suspicio ullius *putredinis*.

Neque sudor olidus cum foetore et partium, quibus admota fuerunt *epispastica*, livore signum *putredinis* certum existit; in febre enim

miliaria

miliaria regimine calido cietur ille, et hic non raro artubus *hydropicis* oritur.

Quoniam haec omnia tam incerta sunt, si ipfius fanguinis conditionem respiciamus. Sanguis, in febre putrida detractus, a folerte et ingeniofo Milman accurate defcriptus eft, qui variam ficut in aliis morbis, modo *coactu facilem*, aut *difficilem* eum refert. *Petechiae* quoque et *maculae*, in quibusdam exemplis, tam *subito et inopinato* oriuntur, ut vix quidem ex fanguine *diffo* vel *tenui* facta, vafisque extremis igitur elapfi provenire poffint. Sydenham, *peftem* de impvifo his cum fignis accedere interdum, quam rarius, his verbis agnovit. “ Rarius quidem accedit, ut citra ullam febris praefentem ingruat (peftis) ac homines e medio tollat, maculis purpureis, praefentanei interitus nunciis, etiam dum in foro verfantur, erumpentibus.” Quin et, eft quidam mor-

haemorrhoea, nimirum, *petechialis*, cui est signum praecipuum *petechiae* in quo, etiam inventato, signa sanguinis *putridi* indubia, nunquam observantur*.

Methodus morbos putridos, qui dicuntur, tractandi, nec minus putredinis humorum doctrinae diffluat. Remedia, quae, optima sunt reperta, parum vi eorum *antiseptica*, maxime eminent.

Sanguis quidem adeo pretiosus, et ad vitam sustinendam adeo necessarius, ut, si a priori judicemus, non fieri potest, quin tale vitium effectus pessimos, etiam lethum ipsum, brevi edat. Immo, Doct. Milman † asseruit *putredinem*, quam

His

* Vid. Dissert. Inaug. Doct. Adair; et Duncan's Medical Cases.

† Vid. Doctor Milman's Inquiry into the Causes of Scurvy and Putrid Fever.

lis in fanguine, a nonnullis esse putatur, parum, etiam temporis momentum, constare vitae posse.

Avidus veri detegendi, experimenta sequentia, amico meo, Doctore Meade adjuvante, instituenda curavi.

EXPER. I.

Cane deligato, venam jugularem externam secuimus, et gradatim, idoneo siphone, drachmas circiter duas sanguinis, recens ab alio cane detracti, huic venae infudimus; reducto siphone et curato vulnere, canem qui satis bene se portea habuit, liberavimus.

EXPE

EXPER. II.

Eandem, ac in experimento superiore, sanguinis quantitatem in temperie naturali, donec *leviter putruisset*, servavimus. Arte eadem usi, experimentum in alium canem iteravimus. Animal, vinculis enodatis, actutum magnopere aegrotavit; ambulare sine titubatione nequivit: Nec multo post supervenerunt vomitus, respirandi difficultas, et languor universalis. Horas post 5 vel 6, signa graviora passus, mortuus est. — Experimentum repetitum, eisdem fere effectus in alio cane praestitit.

EXPER.

EXPER. III.

Experimentum aliud fecimus, sanguinem *penitus corruptum*, et *putridum*, venis jugularibus ad drachmam unam solummodo infudimus; et sub ipsa ferme infusione, admodum convulsus canis, vita excessit. Hoc experimentum quoque iteravimus.

In hisce experimentis faciendis, omni cum diligentia, ab aëre infuso cum sanguine, et animalibus ipsis laesis praecavimus. Cadaveribus dissectis, nihil praeter naturam videre potuimus.

In primo experimento, sanguine sincero infuso, canis evasit sanus et illaesus: Unde fas est, in secundo ac tertio, mortem sanguini *corrupto* infuso esse debitam concludere.

Secundum